

enim jecur afficitur, modo folliculus bilis, modo universum corpus, de quibus omnibus in seq: in tractatione causarum.

VI.

Nullius rei perfecta haberi potest cognitio, inquit Sennertus *Instit. l. 2. P. 2. c. 1.* sine causarum notitia, neq; morbi, nisi causæ caveantur, vitari possunt. & juxta Galenum *l. 2. de nat. facult.* in omni morborum cognitione & curatione causæ sunt perquirendæ, quia sine causarum cognitione morbus dextrè curari nequit. Proximum ergo est ut ad earum explicationem nos conferamus.

VII.

Quatuor autem à Philosophis constituuntur causarum genera. *Forma, Materia, Efficiens & Finis.* Formam & materiam supra proposuimus, dum Jcteri naturam & subjectum dedimus. Finem non attendimus, cum Jcteri essentia non in perfectione, sed defectu potius consistat, & rationem mali non boni obtineat. Meritò ergò Medicorum vestigijs insistentes, de causa tantum Efficiente agimus. Medici enim ut post Galenum docet Sennertus per causam, tantum Efficientem intelligunt, Nos methodi gratia illas adduo reducemus capita, ut unum contineat Proximam, Remotas alterum.

VIII.

Causa proxima inter quam & morbum nihil intercedit, secundum definitionem nostram, est Biliosus humor per universum corpus effusus. Bilis enim ut eleganter scribit Felix Platerus, quæ colore eximio prædita est, si ad superficiem corporis feratur, hæc simili colore tingitur Jcteriq; causa est. Et Celeb. Sennert, *lib. 2. Inst. Part. 3. s. 2. c. 7.* Jctero qui laborant, ijs totum corpus flavo colore tingitur, ob bilem flavam cum sanguine in totum corpus effusam: *Nb. Humor ille proprie bilis est, neq; solum ex bile excrementitia corrupta, sed ex corruptione tam bilis qm excrementitios humoris ortus.*

Priusquam ulterius in enarrandis causis progrediamur, operæ pretium est, quædam de Bilioso humore monere. Nonnulli quippe in eum errorem inciderunt & putarunt, bilem non nisi excrementum absq; usu ignobile & cum suo receptaculo frustra